



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

699. Dum controvertitur, seu agitur de acquirendo jure conferendi ipsi capitulo privativè ad Episcopum, vel è contra, cui standum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Questio 698. Quantum valeat suffragium Episcopi & Capituli, dum seposito jure simultanee conferendi ex statuto, aut jure alio singulari providendum est conjunctim?

Respondeo: tantum valere suffragium Episcopi, quantum totius Capituli, perinde, ut ait Card. de Luc. de benef. d. 1. nu. 29. ac si essent duæ personæ, quarum una repræsentetur ab Episcopo, altera à Capitulo, quarum utraque collationis actum in tempore ac loco diverfo explicare potest, sive, ut Paris. l. 7. q. 23. n. 39. ac si essent duo corpora, Garc. p. 5. c. 4. n. 28. citans Mohed. decis. 1. de privil. Gonz. gl. 45. n. 51. & c. Lott. cit. q. 21. n. 36. citans Feder. de Senis conf. 232. n. 1. & Rotam in Placentina Voti. 2. Maji. & 7. Junii 1583. Ude h Episcopus & Capitulum contulerint in discordia, ita ut Capitulum, seu major ejus pars conferat uni, & episcopus alteri, neutra collatio valeat. Card. de Luca de benef. d. 28. n. 16. Idque, etiam si episcopo accesserint aliquot Canonici. Garc. loc. cit. num. 29. citans Abb. in c. cum in Ecclesia Vulter. n. 11. Maudof. ad reg. 18. q. 14. n. 2. Pavin. de off. & potest. Capituli Sede vac. pralud. 5. n. 3. Selv. p. 2. q. 17. num. 4. Navar. conf. 1. de his, quasunt à maj. part. cap. num. 3. Rebuff. & c. Lott. loc. cit. nu. 4. contra Hostiens. in c. postulâstis. de concess. preb. tenentem, valere in eo casu collationem episcopi factam etiam cum uno Canonico. Ac proinde, si interim Papa ac ejus Legatus jure concursus provideat, etiam sequente die, ejus provisio valeat. Garc. n. 33. Lott. nu. 41. citantes Prob. ad Jo. Monach. in rub. de jurep. num. 8. Attamen dum episcopus & Capitulum contulerunt in discordia, ac ita neutra collatio valuit, poterunt intra semestre datum ad conferendum concordare in unum ex provisis in discordia, vel in alium, nisi interim Papa providisset alicui. Garc. p. 5. c. 4. n. 35. Aliàs si intra semestre non concordarint, nec Papa providerit, collatio devolvitur ad Superiorem. Garc. ibid. citans Abb. in c. cum Ecclesia Vulterana, num. 12. & c. Porro sufficere semiplenam probationem hujus discordiæ, dum quis impetrat præbendam à Papa, narrando fuisse discordiam in illius provisione inter episcopum & Capitulum, tradit Garc. à num. 36. juxta decis. Rotæ in Hispal. portionis 14. April. 1595. quam recitat num. 38. et si Rota aliàs contrarium tenuerit in ead. Hispal. 2. Junii Anno 1594.

Questio 699. Dum controversitur, seu agitur de acquirendo jure conferendi ipsi Capitulo privativè ad Episcopum, vel e contra, cui standum?

1. **R**espondeo primò: dum non constat, quid à principio, & in fundatione ecclesiæ constitutum, & Capitulum, v. g. alleget solâ consuetudinem, episcopo e contra nihil aliud allegante, quàm juris communis dispositionem, Capitulum intentionem suam sufficienter fundatam habet in sola & simplice consuetudine; cum idem jus deferat consuetudini. Lott. nu. 23. & 24. citans Rotam in Faventina juris conferendi. 4. Julii 1584. & dicens, sic censere communius Glosas & DD.

2. Respondeo secundò: si verò constat ita ab initio statutum, ut collatio sit simultanea, non sufficit allegatio simplicis consuetudinis; sed erit justificanda præscriptio, sive dictam consuetudinem alleget Capitulum contra episcopum, ut Abb. in c. cum Ecclesia Vulter. n. 6. sive episcopus contra Ca-

pitulum juxta c. non est. de consuetud. in 6. junctâ Gl. & Gemin. ibid. Lott. num. 45. dum enim agitur de auferendo uni, quod applicetur alteri, præscriptio est, non autem consuetudo, quæ non auferit id, quod applicat. Lott. n. 46. citans Abb. & Butrio in cap. ult. de consuetud. cum communi DD. ibidem. Sufficere autem præscriptionem quadragenariam sine titulo, juxta decis. Rotæ in Placent. Voti. de 20. Novemb. 1602. ait Lott. nu. 47. eò quòd cum jus in hoc puncto deferat consuetudini, cesset jam illius resistentia ab initio, quæ sola operatur, ut exigatur titulus, juxta c. 1. de præscript. in 6. Sed neque resistere intelligitur, dum leviter improbat, seu non justificat possessionem præscribentis; sed eatenus solum dicitur resistere jus, quatenus vehementer possessionem improbat, ac vetat. Lott. num. 48. & 49. citans Decium. conf. 134. sub n. 4. Covar. variar. l. 1. c. 17. n. 7.

3. Advertendum tamen monet Lott. num. 50. aliud esse, dum Capitulum simpliciter prætendit jus conferendi privativè ad episcopum, prout episcopus est Prælatus; aliud dum id prætendit privativè ad illum, prout est membrum ipsius Capituli. In primo enim casu non agitur de eo excludendo in totum, & ideo jus non resistit; in secundo autem cum agatur de eo penitus excludendo, jus vehementer resistit, ac proinde non sufficit simplex præscriptio, nisi concurrat titulus; Licet enim patientia illius, contra quem præscribitur, sufficiat ad inducendum consensum in participatione, non tamen sufficit in eradicatione proprii juris, quòd ex præsumpto consensu hujusmodi justificetur præsumptio, ut Felin. in c. si diligenti. de præscript. n. 7.

Questio 700. An, & qualiter dum ab initio de jure communi fuit simultanea collatio Episcopi, & Capituli, potestas conferendi postmodum in alterutro eorum solidari possit?

Respondeo: id fieri posse per concordiam seu pactum, ita ut v. g. episcopo cedatur jus solidarium conferendi, v. dignitatem aliquam, aut certos Canonicatus, Lott. loc. cit. à num. 53. in quo casu jam episcopo potestas conferendi non competit de jure communi, sed ex dicta concordia; cum enim jus commune, ut dictum, adverteatur, consequens est, ut illa potestas juri singulari duntaxat innitatur. Lott. cit. n. 53. citans Rot. in Tarrac. Sacristia. 19. Martii 1601.

Questio 701. An, si sub certa lege inita hac concordia, v. g. ut Episcopus certo generi personarum, puta, quæ sunt de gremio talis Ecclesiæ Cathedralis, provideat, hæc lex necessario servanda sit, ita ut si conferat alteri personæ, collatio sit nulla?

Respondeo affirmativè; ex quo enim recipit potestatem ex concordia, quàm de jure communi, vel alio prius non habebat, nisi servet formam sibi præscriptam, & hanc qualitatem, actus corruit ex potestatis defectu. Lott. n. 54. & 55. citans Feder. de Senis conf. 69. n. 1. Gl. in clem. 1. v. inibentes. Felin. in c. ex parte. de rescript. n. 1. & c. Proceditque id ipsum, etiam si concordia non habeat Decretum annullativum propter implicitam pro-